

glabrescentia, dilutè brunnea, pl. pauca tantum fertilia, reliqua effœta, albertia. Nectarium conspicuum, albens. PAPPUS caducissimus, 2 1/4 lin. longus, niveus, 1-serialis, setis paulo complanatis, denticulatis, subæqualibus et hinc à Sonchis reliquis paulo diversis.

EXPLICATIO TAB. 136.

1. Panicula florida. 2 et 3. Folia caulina. 4. Flos. 5. Stamen. 6. Styli pars superior. 7. Achænium cum pappo caduco. 8. Pappus. 9. Achæniî apex ex alto visus ut appareat nectarium. 10. Achæniî sectio transversalis.

Subgen. V. *EUSONCHUS*. C. H. Sch. Bip. MS.

15. *SONCHUS BOURGÉAUI*. C. H. SCH. BIP.

S. annuus; caule dichotome ramoso, foliato, glabro cum foliis confertis, runcinato-pinnatifidis, dentato-spinulosus, costâ folii acute prominente in caule alâ acutâ pellucidâ (simili modo ut in *S. palustri*) decurrente; involucri basi tomentoso, campanulato, cum petioli parte superiore pilis glanduliferis dense obsito; floribus aureo-aurantiacis, speciosis, involucri dimidia parte superantibus; achæniis compressis, robustis, obovatis, inferne attenuatis, brunneis, transverse valde rugoso-granulatis; pappo niveo, persistente, pluri-seriali.

HAB. *Fuertaventura*, n. 9, sine loco speciali, et in lava volcani *Oliva*, die 19 Febr. 1846, n. 12: Bourgeau! et *Lancerotte* in *Baranguillo* supra pagum de *Mala Die*, 2 Febr. 1845: Bourgeau! n. 7.

DISTRIB. GEOGR. Herba merè canariensis.

DESCR. Prima fronte affinis *S. lævi* Camer., sed floribus speciosis obscurè aureo-aurantiaceis statim distincta. RADIX annua. CAULIS spithameus, — 5/4-pedalis, infernè 5/4-2 1/2 lin. diametro metiens, teres, sed foliorum costa, in alas 1/2-fere 1 lin. latus decurrente acutangulus, viridis, pl. vero + — purpurascens, inferne densè foliatus. FOLIA 2-4 poll. longa, superne 1-3 poll. diametro metientia, oblongo-obverse-lanceolata, runcinato-pinnatifida, pinnis utrinque 3-4, triangulari-oblongo-lanceolatis, retrorsis, cum lobo terminali triangulari-lanceolato acutis, inæqualibus et conferte spinuloso-dentatis, in petiolum decurrenti-alatum, basin versus dilatatum, utrinque in lobos hemisphærico-triangulares, extus convexos, intus rectos, spinulosos, acutos protractos et hinc *sagittata*, cæterum papyracea, glabra, infrâ glabrescentia, sæpius præsertim costa purpurascens; folia inferiora longius petiolata, basi paulo protracta, costâque minus prominente munita, media maxima, costâque valde prominente et lobis basilaribus magis instructa. Ad medium caulis dichotome ramificatur. RAMI in axi foliorum caulinarum orientes sed minorum, inferiorum pinnatifidorum, superiorum integrorum, lineari-lanceolatorum, omnium setoso-denticulorum, basi dilatatorum et in lobos magnos sagittæ-

formes protractorum. Rami inferiores iterum ramosi in corymbum compositum abeuntes, superiores vero in simplicem. PEDICELLI pl. 1-2-pollicares, nudi vel squamulâ unicâ muniti, glabri vel superne pilis glanduliferis muniti patentibus. INVOLUCRUM campanulatum, pl. 1/2 poll. altum, subimbricatum, squamis omnibus adpressis, demum reflexis pedicelloque adpressis, internis subæqualibus n. 13 linearibus, obtusis, dorso pilis glanduliferis sparsis munitis, externis n. 8 internis 2-4-plo brevioribus, pilis glanduliferis, ad basin tomento involucri immersis, valde hispidis. Basi involucri demum spongiosè et ventricosè dilatatum, ita ut pili ejus inferiores reversi sint. RECEPTACULUM 2 1/2 lin. diametro meticus, nudum, planum. CAPITULUM multiflorum, semper erectum. FLORES obscure aurei, in aurantiacum vergentes, 7 lin. et ultra longi; ligula glabra, apice 5-dentata, 1 lin. fere lata, tubum pallentem, pilis articulatis simplicibus superne obsitum, 2 lin. longum plus duplò superans. Antheræ pallide aureæ, fere 1 1/2 lin. longæ, filamentis glabris insidentes; styli rami filiformes, hirti, demum arcuati antheris 5/4 lin. longiores. ACHÆNIA conformia, articulatè cum receptaculo juncta, vix 1 lin. longa, superne 1/2 lin. lata, compressa, crassa, obovata, superne paulisper, inferne valde attenuata, brunnea, distinctissimè transversè rugoso-muricato-granulata more Picridis v. Picridii. PAPPUS 2 1/2 lin. longus, persistens, niveus, pluriserialis, setis numerosissimis, tenuissimis, simplicibus, quibus pauci intermixti sunt crassiores, denticulis extrorsis more Eusonchorum muniti.

EXPLICATIO TAB. 136 B.

1. Planta integra magnitudine naturali, figuræ reliquæ magn. auctæ. 2. Flos. 3. Achænium cum pappo. 4. Pilus pappi longior. 5. Pilus pappi brevior.

16. SONCHUS LAEVIS. CAMER.

S. annuus; pedicellis glabris vel pilis glanduliferis munitis; floribus sulphureis involucri paulo superantibus; foliis integris, pinnatifidis vel laceris, carinâ acutiusculis, non verò alatis et in caule decurrentibus, margine pl. mitioribus, *sagittatis*; achæniis obovato-lanceolatis compressis, utrinque bisulcatis, rugoso-granulatis, rugis in series 25-30 dispositis transversales.

Var. etiam in Insulis Canar. foliis mitioribus et valde spinosis variè divisis, pedicellis glabris vel pilis glanduliferis hispidis.

Sonchus non asper. Fuchs, p. 675, c. icone!

Sonchus laevis. Camer., *Epit.*, p. 279, c. icone!

Sonchus oleraceus α et β. Linn., *Sp. pl.*, ed. 1, p. 794; ed. 2, p. 1117.

Synonymiæ tædiosæ agmen alio enumerabo loco et tantum hic *Candolleana* adducam.

Sonchus zacynthoides. DC.! *Pr.*, 7, p. 184.

Sonchus Royleanus. DC., *l. c.*

Sonchus ciliatus. Lam. — DC., *Pr.*, 7, p. 185.

Sonchus reversus. E. Mey. — DC., *Pr.*, 7, p. 186.

Sonchus roseus. Besser.! — Ledeb.! — DC., *Pr.*, 7, p. 190.



UNIVERSIDAD GENERAL
 BIBLIOTECA
 J. L.
 MUSEO DE CIENCIAS NATURALES

Lonchus Bourgrauii Sch. Bip.